

51  
D. O. M. A.

DIPUTATIO IX.

Centuriae Quintae

QUAESTIONUM

ILLUSTRIUM

Philosophicarum,

In Inclytâ Vitebergensi Academiâ

Publicè

Proposita.

PRÆSIDE

M. Jacobo Martini

Logices Profefs. Publ.

RESPONDENTE

Gabriele Pastoris

Szentimonio Ungaro.

Ad diem 10. Iulij in auditorio Collegij  
veteris.

W I T E B E R G Æ,

Typis Martini Henckelij, Impensis Pauli

Helvoigii Anno M. DC. VIII.

**REVERENDIS ET CLARIS-  
SIS HIERARCHIS:**

*Patriæ Patri dulcissimo Musarum Fautori Excellentissimo, Antisti De-  
brenciensis vigilantissimo, Ecclesiarumq; Trans-Tibiscan-  
rum Superattendenti spectatissimo,*

**Dn. LUCAE, HODASZINO.**

*Nec non*

*Præclaræ Fidei & pietatis, laudatæ prudentiæ, atque eximiæ  
autoritatis Viro,*

**Dn. VALENTINO VARI SZARNIAS,**

*Pastori Ecclesiæ Szöleosinensis fidelissimo, ad eamque  
pertinentium ministrorum Seniori,  
dignissimo.*

*Item:*

*Pietatis splendore, religionis sinceritate, omniq; vir-  
tutum laude eminentissimo Viro,*

**Dn. THOMÆ VARIS ZARNIAS,**

*Pastori Ecclesiæ Czengeriensis pijsimo, Ministrorum-  
q; ad eam pertinentium Seniori  
laudatissimo.*

*Tandem:*

*Prudentia morumq; integritate conspicuo, multarum rerum usu  
præstantissimo, Ecclesiasticaq; dignitate, ex-  
cellentissimo Viro,*

**Dn. DEMETRIO LIZKAINO,**

*Pastori Ecclesiæ Meggiesiensis diligentissimo, Mini-  
strorumq; ad eam pertinentium Se-  
niori inculpatissimo.*

*Hoc ἀγώνισμα φιλοσοφικόν, debita observantia monumen-  
tum, grati animi documentum, & Filialis obsequii testimonium;  
Fautoribus meis vice parentum demisse iugiterq; colendis,  
Dico, consecro, offero:*

*Autor & Respondens.*



# DISPUTATIO IX.

## Centur. V.

### QUAESTIO I.

*An Methodus & Ordo recte distinguantur?*



Vum Methodus sit habitus Logicus, docens procedere ab hoc ad illud, cognitionis adipiscendae gratia; duplex esse potest ille processus: aut enim res ipsas tractandas disponimus, ut prius de hac, postea de illa agamus: aut à cognitione huius ducimur in cognitionem illius, aliud enim est hanc rem prius esse cognoscendam quam illam; aliud est hac re nota nos duci in cognitionem illius ignotae: hoc quidem Methodi propriè summa manus est, illud autem Ordinis; Ordo siquidem nullam facit illationem huius rei ex illa, sed solum disponit ea, quae tractanda sunt: ut si dicamus ordinem doctrinae postulare ut prius de Caelo, quàm de Elementis agamus: Methodus verò non disponit Scientiae partes; Sed à noto ducit nos in cognitionem ignoti, inferens hoc ex illo; veluti quando à mutatione Substantiae ducimur in cognitionem primae materiae: & quando ex aeterno motu venimus in cognitionem aeterni motoris immobilis, vel ex aeterno motore immobili demonstramus aeternum motum; propterea dicunt, proprium esse Ordinis, disponere; Methodi autem notificare. Quo discrimine Methodus propriè accepta ab Ordine disidet. Sic Autem quilibet scientiam aliquam vel artem scripturus, considerat ante omnia, quo ordine eius disciplinae partes disponendae sint, postea in singula parte Methodum quaerit, quae ex notis ducat in cognitionem eorum, quae ignorantur & quaeruntur;



veluti prius decernit, de animali generaliter agendum esse, mox de speciebus  
singulis, postea verò de animali Communi tractationem aggrediens Metho-  
dos querit, quæ ad animalis naturam, si latuerit, & ad ejusdem accidentia  
cognoscenda nos ducant: Similiter quum de homine & singulis aliis specie-  
bus est locuturus.

Ex quibus apparet, etiam ordinem universalis quiddam esse, & latius  
extendi quam Methodum: nam in Ordine scientiam universam respicimus,  
& eius partes inter se conferimus, in Methodo verò in unius rei quæsitæ inves-  
tigatione sine ulla partium scientiæ inter se comparatione consistimus.

## QVÆSTIO II.

### Quot sint numero Methodi & Ordines?

**I** Sicut ꝑ omnis cognitio, cuius causa Ordinem adhibere solemus, gemina  
est; & sicut disciplinæ omnes, quæ ordine aliquo traduntur, geminae tan-  
tum sunt: Contemplativæ & Practicæ: Ita quoque necessario duplex tan-  
tùm erit ordo; alius compositivus, qui contemplantibus, alius Analyticus,  
qui disciplinis practicis inservit. Deinde Arist. his duobus tantùm ordinibus  
non solum usus est; sed etiam tertij nullibi mentionem facit: verum expressè  
duos (saltem nominatim Platone, l. Eth. c. 4. ubi Platonem laudat, quod  
prudenter dubitaverit, Vtrum à principiis ad finem; an contra à fine ad prin-  
cipia esset transeundam. Sic Analyticum Ordinem, 7. Meta. expressè ponit,  
eumque artium proprium esse asserit. Compositum verò l. 1. Phys. in proœmio,  
docet, eumque solum contemplantibus scientiis convenire, & verbis & re ipsa cõ-  
probavit.

Quod ꝑ autem ad res omnes cognoscendas duæ hæc sufficiant, vel ex eo  
facile patet quod omne cognoscendum, aut sit substantia, aut accidens: Sub-  
stantia quidem tunc plenè cognoscitur, quando perfectæ ipsius definitio habe-  
tur; hæc si nota sit, nulla eget methodo, ut investigetur; si verò ignota, per ali-  
quam methodum venanda est; per demonstrationem quidem venari eam non  
possumus, ut ait Arist. cont. 42. 2. post. Eam sola à priori & per causam noti-  
ficari possunt, quorū essentia pendet ab aliqua externa causa; At essentia substā-  
tiæ à nulla externa causa pēdet: nulla igitur causa datur, per quā definitio sub-  
stantiæ, si ignota fuerit, demonstrari possit, relinquatur, eā nō posse, nisi à rebus po-  
sterioribus,

sterioribus, & ab effectu aliquo notiore declarari quæ est methodus resolutiva.  
Accidens verò aliud proprium est, aliud commune: commune quidem sub scientiam non cadit, Proprium verò semper habet externam aliquam causam, à qua pendet: proinde per eam potest demonstrari; Externam vocamus, non quod loco & subiecto semper seiuncta sit; sed ratione Essentiæ ipsius accidentis, extra quam necessarium est, iam esse. At quicquid talem causam habet, nulla sciri potest, nisi per illam demonstretur. Omne igitur accidens demonstrabile est, & nulla via est, quæ ad ipsius perfectam scientiam ducere possit, nisi methodus demonstrativa. Cum itaq; substantias omnes definitione cognoscamus earum autem definitiones ignotas per solam Resolutionem investigemus; Accidentia rursus per solam demonstrationem innotescant, hæc duæ Methodi ad rerum omnium cognitionem comprobendam sufficiunt, nec alio ullo instrumento Logico indigemus ad probandum & colligendum ex noto ignotum, eagemus quidem ad disponendum; quia Methodus non disponit, sed probat & notificat singillatim ea quæ convenienti ordine disposita sunt. Ideo neque solus ordo, neq; sola Methodus perfectam rerum scientiam præbere potest, sed ambo requiruntur; Ordo enim solus nihil docet; Methodus verò sine ordine docet quidem, sed perfectam scientiam non parit, vel cum summo discantis labore; si enim Philosophus naturalis propria animalium accidentia per proprias causas antè demonstrare niteretur, quàm de iis, quæ corpori naturali communiter competunt, & postea de Elementis, & de mixtis generaliter disseruisset, vanum certè opus aggredetur, rebus enim universalioribus ignoratis, nunquam animalium perfectam cognitionem assequeremur. At si convenienti ordine res omnes tractandæ dispositæ fuerint, Methodus in singularum declaratione operam suam egregiè præstat, perfectamq; scientiam parit, in qua discantium animus conquiescit: Propterea divisione quoque methodus aliquando eget: quia divisio ordinatio quædam est, quæ rectam rerum probandarum seriem, Methodis subministrat.

Ex ipsa igitur rerum cognoscendarum natura clarum est, duas illas Methodos ad tradendam rerum omnium cognitionem sufficere. Idem etiam ex ipso Methodi progressu ostendi potest, omnis enim à noto ad ignotum scientificus progressus vel à causa est ad effectum, vel ab effectu ad causam, illa quidem est methodus demonstrativa, hæc autem Resolutiva; alius processus, qui certam rerum notitiam pariat, non datur: nam si ab aliquo ad aliquod progrediamur quorum neutrum alterius causa sit, non potest inter illa esse connexus essentialis ac necessarius, quare nulla certa cognitio illum progressum consequi potest; patebit igitur, nullam dari posse scientificam methodum, præter demonstrativam & Resolutivam.

A 3

QUÆ

### QUÆSTIO III.

#### *An ea, quæ differunt, possint esse continua?*

Questionem hanc tractandi occasionem præbuit Arist. 5. meta. c. 4. t. 5. cum ait: Quædam esse, quæ quantitate (id est, materia continua) & non qualitate (i. e. Forma) sint unum. In cuius loci dilucidatione satis esset rem explicare in ijs, quæ differunt forma substantiali, (de his enim tantum loquitur Arist.) tamen majoris doctrinæ gratia, in omnibus quæ forma differunt, sive nomen Formæ pro Physica sumatur, sive pro specie, sive etiam pro differentia numerali, his conclusionibus tractanda erit difficultas.

1. Substantiæ ÷ diversæ, sive forma substantiali, specie diversa inter se differant sive numero diversa, non continuantur inter se. Quod ipsum patet ex 5. meta. c. 6. ubi ait Arist. ea esse unum numero, quorum materia est una, scilicet numero. Loquitur enim de substantiis materialibus, quibus solis inter substantias tribuit unitatem numeralem sub specie. Unde si materia diversarum esset una numero, ac proinde continuata, (per se enim notum est, eas materias, quæ non sunt continuatae, non efficere unam numero) sequeretur diversas substantias esse unam numero, quod est absurdum. Quocirca omnes substantiæ, quæ substantiali forma differunt inter se, ita sunt diversæ, ut non sint continuatae. Loquitur autem de formis ita distinctis, ut neq. una sit altera, neq. utraq. sit pars unius tertie. Nam si duæ constituent unam tertiam, veluti formæ partium ejusdem numero aquæ, aliarumve substantiarum similarium, jam composita ex illis continuabuntur inter se.

Præterea ÷ aut Quantitas continua immediate sequitur materiam primam, estq. illi coæva, aut sequitur illam ratione formæ substantialis, ita ut abjecta forma substantiali ipsa quoq. quantitas abijciatur, & alia forma introducta, alia quantitas succedat. At utrovis modo sentias, diversæ substantiæ continuari non possunt. Nam si Quantitas continua est materia, est utiq. Materia una ex se numero: neq. si per formas aliquas Quantitate posteriores, multiplicatur numero. At formæ accidentales Quantitate continua posteriores, non distinguunt numero materiam, quum in eadem numero distinctæ in partibus remotis ejusdem, sed etiam specie proximis. Itaq. solis formis



formis substantialibus tribuenda est numeralis distinctio & discretio materiae. Substantiae ergo quae distinctis siue specie siue numero formis substantialibus constant, non constant eadem numero materia, & per consequens non erunt continuatae inter se. Quod si v. Quantitas continua sequitur materiam ratione formae, & alia atq; alia substantiali forma introducta, alia atq; alia Quantitas introducitur, & abjecta abijcitur, multò brevius concluditur, substantias, in quibus formae substantiales diuersae sunt, non esse continuas. Qua de re doctè scribit A. verroës com. 1. l. 10. 1. p. q. 76. art. 3. & 4. Continuationis causa, inquit, in indiuiduis est forma & ideo forma dicitur magis unū, quàm continuatio, quia forma est causa continuationis. Ex quibus omnibus partibus in diuersis partibus integrantibus dissimilariū substantiarum, ut hominis aut equi, non dari diuersas formas substantiales, neq; enim eae partes essent continuatae inter sese; quare nec conficerent materiam unam numero.

2.. Diuersa ꝑ etiam Accidentia successiva non possunt esse per se continuata; per accidens autem possunt, siue continuitate successiva, siue extensiva ad extensionem subjecti. Quae conclusio non habet locum in tempore, quod unum est numero in primo mobili, nec nisi operatione intellectus distinguitur in plura tempora, aut quasi specie differentia; cuiusmodi sunt, Praesens, Praeteritum & Futurum, aut quasi solo numero diuersa; ut sunt duae horae praeteritae aut futurae. In motu autem ex eo probatur prima pars, quia ad continuitatem per se motus, requiritur acquisito eiusdem numero termini non interrupta; ubi autem haec dantur, necessario motus est unus numero, quo fit ut nec specie nec numero, diuersi, possint per se continuari, ita scilicet ut maneat diuersi, siue specie siue numero. Hoc ipsum susè probat Arist. 5. ph. inquit posse quosdam haerentes esse motus, specie diuersos, h. e. unum immediatum post alium, ut si aqua immediate post descensum ex aere incipiat calefieri, aut si lapis immediate post ascensum vi proijcientis factum, incipiat descendere re percussus vel pulsus deorsum à potiori virtute: continuos autem minime. Posterior v. pars ex eo constat, quia motus haerentes seu alii alios immediate sequentes, ut ij, qui nunc dicti sunt continuantur per accidens secundum successiones continuitate temporis, quum fiunt in duabus partibus temporis continuatis inter se, qui autè simul fiunt in partibus immediatis ejusdem subjecti, si specie quidem sunt diuersi, ut si  
una.

si una medietas corporis albescat, aut frigescat, & altera eodem tempore nigrescat, aut calefiat, erunt continuati per accidens continuitate extensiva, ad extensionem subiecti, quod utroque alteratur. Dicimus autem si sint specie diversi, quasi sint ejusdem speciei infinita jam non erunt diversi numero, sed partes unius & eiusdem numero motus occupantis eas partes immediatas, quae sic moventur.

3. Diversa tamen denique Accidentia permanentia quem admodum de successivis, quoad extensionem subiecti dictum, continuata per accidens esse possunt, si specie differant, non item solo numero.

Hac etiam conclusio quoad partem priorem, perspicua est inductione in plerisque qualitatibus diversarum specierum, quarum una immediate post aliam, in eodem subiecto experimur, ut varios colores variasque tangibiles qualitates in proximis partibus ejusdem subiecti; Nec est quod Aristotelem 5. Ph. objicias, dicentem, ea quae differunt specie, non posse continuari. Non loquitur enim univ ersè de rebus specie diversis, sed de diversis specie motibus, idque quoad successionem, ut patet ex probatione, quae ibidem utitur. Posterior v. pars ex eo probatur, quia accidentia solo numero diversa, si continuentur, iam fiunt unum numero, ac proinde non erunt diversa.

Ad haec tamen forte dices? Multa exempla reperiri pro Affirmativa questionis parte, tam in substantiis, quam accidentibus; veluti in virga partim viridi, partim demortua apparet, quia uno & eodem motu moventur. Continua enim sunt, teste Arist. 5. meta c. 6. t. 8. quorum motus est unus. Sic in homine agente animam, cujus partes extreme saepe prius occupantur forma cada veris, quam anima medias deserat. Et in plerisque animantibus id liquet, quae ex aliis in alia paulatim transeunt, ut ex reptili vermiculo in Papilionem.

7 Verum tamen de Virga r. scilicet est responsio, si continuationem talium partium, apparentem non veram dixerimus, qua continuatione multae, tamen aliae, verè contigua continua dici possunt, ut fascis, sella, navis, &c. aequae ita sunt coniunctae & compactae, ut mota parte una moventur caetera. Quae sane ratio continuitatis ita vulgaris & imperfecta est, ut iuxta eam magis continua sit navis quam aqua ipsa, in qua navigatur, eò quod una maris parte mota, non necessum sit moveri totum, quemadmodum in navi accidit. Illud v. de transmutatione unius animalis  
immedi-

immediate in aliud, est dubium, num per partes integrantes paulatim fiat, an simul in toto: Et si fiat simul in toto, quod est probabilius, prorsus exemplum a re erit alienum.

2. Accedunt et inquires exempla accidentium permanentium, quam plurima sumto formæ nomine pro specie, veluti in animantibus maculosis, & quæ alio modo sunt diversorum specie colorum: hæc enim continuata esse inter se, nemo negaverit, quum eadem linea videatur finis unius & initium alterius. At quoniam non loquitur obiectum de forma substantiali, facile concedimus illos continuari posse in superficie una numero, non in diversis numero, quæ tunc semper sunt diversæ in eis, quorum formæ substantiales uel solo numero diversæ sunt.

3. Addi et etiam posse, dicitur, exempla rerum successivarum, in motibus diversarum specierum. Siquidem potest motus rectus continuari cum circulari, quod ex eo constat, quia magnitudines, super quas fiunt, continuantur inter se, quum interim continuas motus sumatur ex continuitate magnitudinis; super quam res movetur, ut 4. Phys. c. II. t. 99. Arist. tradidit. Motus item contrarii (quos specie differre necesse est) ex eo non repugnant, quin continuentur, quod mobile ex uno in alterum sine interruptione quietis transire potest, ut ascensus lapidis cum descensu eiusdem; calefactio aquæ cum frigesactione, & alij quam plurimi.

Ast et ad hoc jam etiam Respond. tribus modis posse motum cum motu continuari, successiva continuatione. Uno ratione magnitudinis, super quam fit, vel ipsius mobilis, cuius una pars transit idem signum spaciimmediate post aliam, veluti si mobile moveatur per lineam circumductam immediate, postquam motus est per lineam rectam. Altero ratione Temporis; ut si unus alteri succedat sine interruptione quietis, ut descensus lapidis ascensu eiusdem, impedito per descensum potentioris mobilis. Tertio, quatenus sunt parte non interruptæ acquisitionis unius & eiusdem numero termini ad quem; quos pacto non iam diversi sunt motus, qui continuantur; sed configiunt unum atque eundem numero motum. Hinc igitur est, cur Arist. 4. Phys. c. II. t. 99. dicat, Motum dici continuum ex continuitate Magnitudinis, super quam fit, aut etiam ipsius mobilis. 6. Phys. c. 4. t. 34. alias verò ex continuitate temporis, ut 5. Phys. c. 4. t. 40, ac demum 4. Phys. c. II. t. 99. contra asserat, tempus ipsum dici continuum ex motu, quod nequaquam assereret, nisi motus peculiarem haberet continuitatem, diversam à continuitate magnitudinis & temporis. Quum ergo concluditur Motus diversarum specierum continuari

B

posse,

esse concedendum id quidem est prius vel secundo modo; at tertio, de qua con-  
tinuatione, etiam secunda conclusio loquebatur, negandum est plane.

## QUAESTIO IV.

An ea, quae sunt continua, eandem formam,  
habere possint?

1. Haec + duae quaestiones ita sunt coniunctae, ut unius explicatio poscere vi-  
deatur alterius explanationem. Quocirca quærat aliquis, num, quemadmo-  
dum conclusimus, ea quae formas substantiales habent diversas, continuata esse  
non posse sic dicendum sit, ea quae unam & eandem habent, necessario esse con-  
tinuata. Cuius quaesiti partem negativam his rationibus confirmabimus: 1.  
ex definitione unius & diversi: Omnes enim sumimus ut unum numero, quic-  
quid unam & eandem habet materiam, ut hunc lapidem & hanc statuam,  
ostensa bis eadem statua lapidea: & numeramus ut diversa, quae materias ha-  
bent diversas, veluti si statua frangatur in duas partes, jam dicimus duos esse  
lapides, & duo corpora, quem communem hominum sensum Arist. etiam secu-  
tus cap. 6. t. 12. cum ea definit esse unum numero, quorum mate-  
ria est diversa. At si forma eadem in diversis materiis esse potest,  
necesse erit, pugnare cum hoc communi iudicio. Nam, cum res magis habe-  
at esse, ac proinde unitatem per formam, quam per materiam, quaecumque una  
forma numero constabunt, unum potius ens numero, quam plura dicenda erunt.  
Hinc enim fit, ut idem, Arist. 1. Phys. c. 7. t. 69. & 2. de An. c. 1. t. 2. ap-  
pellet formam hoc aliquid, quod unitas numeralis rerum numeralium, primo  
sumatur ex forma; neque definitio eorum, quae sunt unum numero, tradatur per  
materiam unam nisi à posteriori, & per id, qui ratione unius formae est  
unum.

2. Deinde + probatur, eadem pars ex divisione Materiae: Totam enim Ma-  
teria quae in pluribus numero naturaliter dividi potest, est ex se una numero,  
praeserta omni forma substantiali & accidentali nec efficitur plures numero nisi  
per plures formas substantiales, aut per plures magnitudines, ut perspicuum  
est; (namque distinctio qualitatuum non est satis ad materias distinguendas)  
at Ma-

et Materia fit plures numero per diversas numero magnitudines, in quas dividitur. Multo ergo magis per plures formas substantiales. Non potest igitur accidere naturaliter, ut eadem numero forma substantialis, diversas numero materias informet. Prior consequentia, quae sola probatione indiget, ex eo patet, quia Materia, juxta veram hac de re sententiam, prius natura recipit formam substantialem, quam magnitudinem. Unde prius naturaliter fit plures numero per diversas formas substantiales, quibus constituuntur, diversa numero accidentalia.

Tertio † ex ipsa potentia materiae, nam ut in nullo agente datur, virtus naturaliter introductiva, eius numero forma, quae ab alio agente eiusdem speciei naturaliter introduci potest; ita in nulla Materia datur, potentia naturaliter receptiva, eius numero forma, quae ab alia materia eiusdem speciei naturaliter recipi potest. Neque obest, quod materia alimenti recipit naturaliter illam eandem numero formam, quae jam praerat in alia materia, nempe ipsius viventis. Non enim recipit illam primo, (de qua tamen receptione loquimur) nec vero recipit, dum a materia viventis disiuncta est, sed cum primum fit eadem numero cum illa.

Quarto † ex determinatione naturae ad unum: Nam ut Materia determinata est ad unam formam numero eiusdem speciei: ita (ac multo etiam magis) forma ad unam numero eiusdem speciei materiam; si enim materia, quae ex natura sua respicit plures formas specie diversas, unam solum eiusdem speciei accipit, potiori ratione forma, quae ad unam tantum specie materiam refertur, eamque ipsam determinat ac limitat, unam tantum numero materiam naturaliter informabit.

Postremo † ex determinatione naturalium actionum; Siquidem diversas numero actiones, diversi numero termini naturaliter consequuntur. Agens autem naturale diversis actionibus agit in materias numero diversas, quemadmodum ipsae diversae materiae diversis passionibus ab eodem agente patiuntur. Quoties enim multiplicatur passio, toties & actio, ac viceversa, ut perspicuum est ex identitate actionis cum passione. Ita patet eandem numero formam, non informare naturaliter diversas numero materias, quod & inductio apertum facit, & opinio seu error.

B 2

Averrois,

Averrois qui mentem eandem numero in privis omnibus posuit. Quandoquidem ne ipse quidem adeo fuit mentis inops, ut diceret illam informare plura corpora: sed ea sola ratione putavit communem esse posse multis, si multis assisteret per quandam copulationem, eorum cum imaginationibus recte ordinatis.

6. Quod et v. argumenta attinet per artis affirmantis, ea facile dissolvuntur. Dicit siquidem 1. ea quae continuata non sunt, eandem formam habere possint; quia forma individua majorem perfectionem includit, quam specifica; At specifica potest simul informare plures numero materias. E. & forma individua. Respon. Formam specificam non posse informare simul diversas materias, sine sui divisione in plures numero formas, quo pacto & ipsa jam est plures numero, & non una tantum. 2. Dicunt in nutritione viventium eandem numero formam successive informare diversas numero materias. Alia enim materia per continentem corporis resolutionem expellitur, alia per conversionem alimenti loco prioris assumitur, quas tamen inter se numero diversas esse nemo dubitaverit. Verum. & nunquam posse formam viventis informare plures numero materias, nisi fiant una & eadem per continuationem.

3. Ajunt; quod videamus easdem numero formas animalium perfectiorum (quas docti indivisibiles vocant) simul informare diversas numero materias, ut caput abscissum & reliquum corpus: quae etsi brevi temporis spatio, saepe tamen videntur separata, ut patet ex motu vitali, qui aliquandiu in eis cernitur. Sic Simeon Metaphrastes in vita Dionisii, tradit Dionisium Areopagitam, post capitis detractionem, vivo corpore, caput vivum gestasse in manibus. Verum Respon. quod separatae tales partes videntur ad brevissimum tempus motum vitalem habere, ideo fit, quia post celerrimum acutissimi gladii ictum, remanent in his spiritus animales, qui palpitacionem & alios quosdam motus vitalibus similes efficiunt, idque propter dispositionem qualitativam, tantisper in materia perseverantem.

## Q U A E S T I O V.

An Corpora caelestia inter se specie distinguantur.

Maion

Major meliorq pars Philosophantium affirmativam hujus quasi-  
onis tnetur partem, quam etiam nos his rationibus munimus. 1. Quae-  
cunq specie conveniunt ea communia easdemq proprietates lege natura  
possident. At haec in corporibus caelestibus diversa admodum reperiuntur,  
ut in quibusdam per se facile patet in aliis longa temporum observatione  
natarunt. Mathematici ( Luna enim Maris reciprocationem efficit, item  
alii planeta exsiccant alii humectant &c. ) Singulis igitur orbibus ad  
iudicanda sunt singulae, & specie dissidentes formae, a quibus haec tam va-  
ria effecta dimanent.

2. Partes etiam hujus mundi quae naturae ordine diversa loca  
exigunt, distinctas specie formas ubiq sortiuntur; At singulae sphaera cele-  
stes ordine naturae exigunt loca diversa; Ergo & formas specie distinctas.  
Minor ex eo patet quia sicut ordo pulchritudoq, universi, & ipsorum cor-  
porum inter se commensuratio postulat, ut terra subsit aqua, aqua aeri, aer  
igni, ita poscit ut orbis Lunae sub orbe Mercurii, Orbis Mercurii sub orbe  
Veneris, atq, ita caeteri globi sub aliis superioribus continuantur: quando-  
quidem non minus, quin potius multo magis & ad naturam congrua &  
ad ornatum concinnitateq, elegans est caelestum quam sublunarium de-  
scriptio.

3. Quia etiam ex Aristotelis doctrina corpora caelestia inter se non  
solum numero sed specie distingui, ostendere possumus, quia 2. de anima  
cap. 4. tex. 34. 35. docet singularia multiplicari in eadem specie, propter  
conservationem. Quare cum caelestes Orbes indissolubiles sint, proinde  
in uno singulari singulae eorum species conserventur non est ut plures ejus-  
dem speciei constituantur.

Quod t argumenta contrariae opinionis attinet; ea hoc modo dilui  
possunt. Siquidem 1. dicunt Accidentia externa sunt nota discriminis  
vel convenientiae naturarum: At qui omnes Sphaera caelestes habent e-  
adem externa accidentia; quantitatem; pelluciditatem; raritatem, lu-  
cem ac praesertim figuram, quae latentis essentiae character, & quasi  
tessera peculiariter habetur, Ergo omnes Sphaera caelestes eandem specie  
naturam obtinent.

Responsio. Non ex quibusvis accidentibus deduci convenientiam  
aut discrimen naturae, quum multae res specie distinctae, non pauca acciden-

tia inter se habent communia. Quin vero nec cognitio similitudine figurarum  
tantalem speciei perpetuo indicat, sed interdum solam propinquitatem:  
ut advertit D. Thomas. 3. part. q. 74. art. 3. quod videre est in plerisque  
seminibus & fructibus, qui in rotundam effigiem conglobantur & distin-  
ctā nihilominus specie naturā habēt. Itaque eatenus figura substantialis for-  
mæ character dicitur, quatenus ea, quæ eisdem lineamentis affecta sunt,  
vel specie eandem vel saltem propinquam formam obtinent.

2. Omnium, inquiunt corporum caelestium est unus specie motus, cum  
omnes super eandem specie lineam videlicet circularē, peragantur, nec in  
eorum terminis appareat diversa ratio naturalis vel nō naturalis situs, à  
qua distinctionē accipere queat. Cū igitur cuilibet corpori competat, planū  
videtur, nec caelestes globos nec eorum formas distingui specie. Respon.  
Quamlibet spheram caelestem proprium motum specie distinctum  
vindicare. Licet enim omnes revolutiones circulo perficiantur, quæ  
figura ubiq; eiusdem speciei est; tamen qualibet earum habet pro termino  
ibi specie distinctum: quandoquidem unumquodq; cælum pro naturæ  
sue dignitate proprium situm in mundo requirit.

3. Si qua ratio, inquiunt, videretur caelestium corporum distinctio-  
nem arguere, maxime esset varietas effectorum, quæ ab his prove-  
niunt. Sed hæc ratio nullius momenti est. Ergo &c Probatum assum-  
tio, quia stelle fixæ sunt ejusdem naturæ cum octava Orbe, quum ni-  
hil aliud sint quam densiores ejus partes, & tamen constat saltem earum  
nonnullas peculiare effectus specie distinctos edere, atq; omnino diver-  
sum influxum, in mundum inferiorem dimittere. Quare non semper  
effectorum dissimilitudo naturæ diversitatem demonstrat.

Respon. Negando assumptionem & dicendo ad ejus probatio-  
nem, multa astra Octavi Orbis edere peculiare effectus specie distinctos  
ab ijs quos edunt alia; nec tamen inter se differre specie. Etenim licet  
diversitas munium & effectorum in diversis suppositis arguat inter illa  
specificam distinctionem, non tamen eam ritè infert in diversis partibus  
ejusdem suppositi.

Cujus discriminis ratio est, quia nulla proprietas aut operatio  
com-



compelit singulari unius speciei, quæ cæteris sub eadem specie contentis convenire nequeat. At in partibus ejusdem suppositi non continuo ita res habet, cum sepe accidat in animalibus, propter diversorum Organorum & qualitatum apparatus, convenire uni parti eas functione quæ alteri minime competunt. Cerebrum enim refrigerat, cor calefacit: quia cerebrum animalium innatam habet frigiditatem: Cor vero præcalidum est, atq; officina nativi caloris. Sic igitur in re proposita, licet diversitas operationum, quæ proficiscuntur à distinctis orbibus celestibus, vel à planetis diversorum orbium arguat in ipsis corporibus specificam differentiam: non tamen eam infert distinctio operationum, quæ à diversis stellis ejusdem firmamenti oriuntur, ejusdem celi partes & quasi membra habeantur.

4. Idem ex eo suadent, quia hanc formarum convenientiam videtur celi dignitas postulare. Siquidem quæ sparsa sunt, & in multitudinem abeunt, in rebus ordinis inferioris, par est, ut eas simplici & eminentiori actu unita possideat ordo superior. Quare si sublunaris natura infirma & tumultuaria, tam numerosam sub diversis speciebus formarum turbam continet, consentaneum videtur, ut celestis mundus omnes suas formas, in unius speciei naturam collectas habeat. Verum Respon. non oportere omnia, quæ sunt sparsa in inferiori ordine, in unum contrahi in superiori, (alioquin una tantum singularis forma in toto celesti mundo inesset, quia in subcaelesti multæ sunt) sed quantum rei dignitas postulat; Ad quæ dignitatē in celestibus corporibus, quod ad formarum rationē attinet, sat est unumquodq; celum, ita ex sua forma & materia constare, ut nulla in eis formarum vicissitudo cernatur, quæ tamen in compositis sublunaribus passim deprehenditur.

5. Ajunt, hanc sententiam Aristotelicæ disciplinæ esse consentaneam; quia 1. de cæl. e. 2. ostendat, præter 4. simplicia corpora dandam

dam esse quintam aliam substantiam simplicem, nempe cœlum; At si globi cœlestes specie distinguerentur, non jam quinque, essent corpora simplicia sed multo plura; quum præter quatuor mundi Elementa, non unus sed plures globi cœlestes numerentur; Non videntur ergo cœlestes formæ, nec corpora ex his concreta, specie distingui. Ad quod etiam Respond, Aristotelem non asseruisse, dari tantam quinque species corporum simplicium sed præter quatuor vulgata Elementa constituendam esse aliam quintam substantiam alterius speciei, quæ immortalis sit & complexu suo mundum inferiorem coerceat ac regat, sive ea species ima sit, sive subalternâ sit; nihil enim tunc ea de re statuebat.

## QUAESTIO VI.

### Quot numerentur sensus interni?

1. De numero & sensuum internorum, maxima est controversia inter Philosophos; sed nos communem sententiam quam sequuntur Arabes ferè omnes Græci & Latini interpretes, approbandam esse censemus, quod tres sint Sensus interni: Sensus communis, Phantasia, & memoria.

2. Distinctas enim esse facultates, Phantasiam & memoriam, vel ex unico isto est manifestum, quod Phantasia non sit sine omni iudicio, Memoria verò suum obiectum non diiudicat. Zab. de facult. Ani. c. 12. Adde & hoc quod quiescente sensu communi in somno interdum operetur, licet imperfectè. Phantasia, iudicet quæ de ideis in memoria representatis. Tertio: Sensus communis propriè efficit, ut sentiamus, & sciamus nos sentire. Sic externus Sensus, g. visus mentè seorsim apprehendit seorsim etiã aurum. isthæc seorsim apprehensa esse percipit & diiudicat Sensus communis, & inter montem & aurum distinguit. Quæ autem à sensu communi ita sunt separatim cognita & distincta, à Phantasia conjunguntur, & ita nobis mentem aureum imaginamur. Sic etiam vidimus montis magnitudinem & animalis, ideoque magnitudinem cū animali conjungentes, imaginamur animal magnum instar montis. Quæ certè imaginatio & compositio, neque in sensu communi, neque externo quodam est, sed in sola Phantasia; unde & Phantasia dicitur. Quarto communis restatur experientia, itemque fides historica imaginationem sæpius affici non affectam memoria, & contra memoriam lædi, non læsa Phantasia. Quinto Maior est convenientia sensus communis & Phantasiæ, quàm Phantasiæ & memo-

memorie. Si igitur sensus Communis & memoria sint facultates distinctæ, memoria quoq; & Phantasia debent distingui: Aut cedens probatur, 1. quia sensus communis & Phantasia, magis receptione quàm conservatione persi-  
ciuntur. 2. & ideo organon humidius, quàm memoria, requirere videtur.

Tres ¶ itaque dantur sensus interni, quos majoris evasæ nos non ca-  
Pluvias evasæ dixerit, nos ita proponimus, ut dicamus alios cognoscentes,  
alios conservantes.

## QUÆSTIO VII.

### Quotuplex sit amicitia.

Amicitie ¶ nomen latissime patet, unde etiam viri celebres multa de  
ea consideratione digna dixerunt. Nos ab eius distinctione, partiumq; enume-  
ratione exordiemur, ut appareat, quænam ea sit, de qua definitionem facturi  
sumus.

Amoris ¶ ergo & amicitie duplex est genus: unum competit rebus pe-  
Naturam, & sine cognitione; alterum ex cognitione oritur, eamq; sequitur.  
Amor primi generis ille est, de quo dicere consuevimus, Pluviam amicam Plan-  
tis, ulmum viti: talis est ea, quæ Physica Sympathia nuncupatur, nec non illa  
quæ ab Empedocle una cum lite inter principia generationis rerum numera-  
batur. Hæc amicitia cum virtute morali nullam habet connexionem, sed ex  
Dei providentia oritur, per naturas rerum effunditur, in eisq; est inserta,  
propterea prætereunda est: Ex qua solum hoc elicere valemus, nos  
per Dei providentiam, ut per ducem omnium, ac per rerum naturam, ut fami-  
liare exemplum, ad mutuam amicitiam excitari, dirigi & hortari.

Alterum ¶ amicitie genus, quia cognitionem sequitur, & cognitionis  
tres sunt Principes gradus: Sensuum scilicet, Humanæ rationis, & di-  
vinarum mentium; Iure optimo in tres partes distribuitur: Primum enim ex  
divinarum mentium cognitione insurgit amicitia eminentissima, quæ se mu-  
tuo felicissime amplectuntur, & per connexionem cum primo principio beentur.  
Alter ex parte, ex infima cognitione, quæ sensuum est, oritur amicitia  
in sensuum appetente facultate collocata: qualis est ea ferarum, & jumen-  
torum, in quibus, ut virtutum ita amicitie umbra nonnullæ tenues & obscure  
apparent. Demum ex Medio cognitionis gradu (nempe ex humana ratio-  
ne) consurgit genus amicitie medium, homini rerum cum medio congruens,  
in quo medio derelictis externis, nos præsertim versari debemus.

C

Amis.

4 Amicitia ¶ vero hominis propria duplex est: Vel enim versatur inter Aequales, vel inter Inaequales: quae duo genera distinctius in quatuor resolvuntur. Omnis enim humana Amicitia, vel est inferioris erga superiorem, vel contra; vel inter aequales, vel demum est Amicitia & amor sui ipsius. Quorum quatuor generum, tria minus proprie amicitiae nomine denotantur. Nam ea sola vera amicitia est, quae inter aequales versatur; caeteri sunt modi quidam & gradus amoris, qui rectius obperantia, reverentia, pietatis, obsequii, concordiae ac consimilibus vocibus quam amicitiae merentur designari: Amicitia enim pro sine respicit vitae conjunctionem, animorum consensionem, actionumq; conformitatem, quae solum aequalibus sunt nata convenire.

5 Vera ¶ itaq; amicitia inter pares versatur quae etiam multiplex est; & distinctio à sine petenda est; de ratione finis est ut bonum sit. Bonum autem est triplex: Honestum, utile, jucundum. Inde consurgit triplex amicitiae genus; Relatum ad triplicem finem. Ex quibus amicitiae formis, eam solam jure optimo nuncupandam esse amicitiam, quae ad verè bonum, quod honestum est, aspirat. Monet enim Aristoteles I. Phys. tex. 74. Sermone absolute prolatum, per se, & in sua potiore significatione esse intelligendum. Sub initio 4. Metaph. monuit: Dum id de quo loquimur est ab uno, Sermonem praesertim & proprie, instituendum esse de primo: Pro cuius etiam exactiore noticia considerandum est, quod formarum amicitiae, quae inter homines versatur; nonnullae sunt Publicae & Civiles, quales sunt illae quae fulgent in variis Reipublicae formis: aliae sunt privatae; ad vitam privatam pertinentes: Et haec vel sunt naturales, vel ex humana ratione & praelectione prodeunt: ea, quae versatur inter parentes & natos naturalis est: ea vero, quae versatur inter pares, & ad honestum tendit, ex ratione & praelectione oritur.

## QUAESTIO IIX.

### Amicitia Quid sit?

Prætermittis ¶ definitionibus ab aliis traditis, hanc nos censemus: propriam & perfectam humanae amicitiae definitionem: Amicitia est proborum hominum mutuus, conspicuus, confirmatusq; amor, ex probitatis cognitione consurgens, ad vitam honestae conjunctionem perducens.

Quaestio definitio omnibus numeris absoluta videtur, & omne genus  
causae

causa includit, ut ex eius explicatione reddetur conspicuum: Et primo quidem ponitur forma, dum dicitur, Mutuus, conspicuus, confirmatusque amor, Amicitia enim hæc tria amori superaddit, & amicus, ad aliud referri non potest, nisi ad amicum, cum itaque amicus amico sit amicus, necesse est ut adsit amor mutuus. Amicitia enim est summa coniunctio, neque dicuntur animi maxime jungi, nisi adsit amor mutuus, unde, quum sit vehemens confirmatusque amor, non servatur, nec crescit Amor, nisi alter in amore respondeat.

Huic etiam præstantissima forma, præstantissima quoque respondet materies, & subiectum proborum hominum, nihil enim apud nos diuinius probo homine reperitur; & jure optimo profecto amicitia vitiiis extinguitur, probitate servatur, probitas siquidem purgat, purgata autem maxime sibi mutuo consentiunt.

Additur etiam tertio, quod pertinet ad causam efficientem, & dicitur ex probitatis cognitione consurgens; nam amor & amicitia pertinet ad facultatem appetendi: non autem excitatur appetitus, nisi ex cognitione subiecti ut boni nobis, siquidem est bonum optabile: hoc bonum nonnunquam est utile, ut in amicitia eorum, qui lucrum querunt nonnunquam jucundum, ut in amore cupidineo: At in vera amicitia est absolute & vere bonum, quod solum honestum est, huiusmodi est sola virtus, aetiamque eius, per quam viri absolute et probi redduntur & nuncupantur.

Demum adicitur finis ad vitæ honestæ conjunctionem perducens; Amicitia enim amor est, amoris effectio & Comes est desiderium, expetimus autem objectum assequi, eoque frui, cumulatissime autem amici probitate fruimur, in vitæ conjunctione per actiones ex virtute, tanquam radios ex sole procedentes. Quam vitæ conjunctionem explicuit etiam Aristoteles. 9. Moralium Nicomach. cap. 4. inquit, Amicum se habere ad amicum, perinde ac erga seipsum. Amicus enim est alter ipse; & quæ valent efficere amici nostri, nos quoque dicimur posse efficere, ut asseritur in. 3. Moral. Nicom. cap. 3. Propterea qui numerum amicorum augent, suas facultates; & non secus, imò nonnunquam magis mortem amici aegre ferimus, quam nostram; & mors nobis videtur dulcis, dum pro amici salute eam obimus.

## QVÆSTIO IX.

An necesse sit, ut qui amat, vicissim  
ab amato ametur?

¶

1. Iure optimo † suspicabitur quispiam, an sit necesse, ut amans ab amato redametur? Verum, quia juxta sententiam Platonis, Augustini, Ciceronis, à natura gignitur sensus diligendi, & benevolentia charitas, facta significatione probitatis; id autem, quod ex natura prodit, necessitatem quodammodo habet annexam: asserimus autem, cum amans ob similitudinem amet alium, esse necesse, ut ob eandem similitudinem, vice versa ab altero ametur. Quod etiam ex Aristotele confirmatur, 8. Moral. Nicom. c. 8. asserente, amari & honore affici similia esse; Et cum honore affici nobis sit gratissimum, pariter amari gratissimum erit: Propterea amantem ut rem gratam nobis facientem, ut testem nostrae probitatis, ut nobis natura consimilem: ut eum, in cuius animo sumus spiritualiter impressi, non valemus non redamare. Et praesertim, quia non amare amantem est genus iniusticiae cum probitate summopere pugnans: Insuper est genus homicidii, animae aliqua ex parte deterius homicidio corporis: qui enim amat, in se mortuus est, & quum non ametur ab altero, non vivens in eo, ab eo interfici dicitur: Demum qui verè amat, seipsum tradit amato à quo (dum tanquam res sua iudicatur) non potest non amari. Quum unusquisque per naturam amet ea, quae sua sunt.

2. Ex ad-verso † autem, experientia nos docet, multos amare, & non amari: ac inde variae prodeunt ad-versus amorem amantium quærimoniae.

3. Pro cuius † difficultatis evolutione accipiendum primo est, Amorem esse multiplicem: & genus unum amoris longe distingui ab altero. Datur enim amor lascivus quærens iucundum: Amor quærens utile: & demum amor quærens honestum: Prima duo genera dissimilitudinem magna ex parte exposcunt: Tertium genus quærens honestum, (de quo modo sermo est) in similitudine probitatis utriusque est collocatum; Itaque si loquamur de Amore quærente utile vel iucundum, non est necesse ut amans redametur: Potest siquidem unus alteri iucunditatem vel utilitatem præbere, ac non vice versa.

4. Insuper † accipiendum est, quod amans nonnunquam verè alterum amat, ut tum probitatem alterius animi diligit: nonnunquam non alterum; sed ejus aliquid diligit, ut qui ob divitias diligit principem, & qui formosum corpus castæ puellæ lascivè amat: Vnde demum addimus, multa reperiri, quæ per se sunt vera, ex eventu tamen reddantur falsa.

Quibus

Quibus † omnibus sic præassumptis, pro resolutione questionis duas proponimus assertiones 1. Amans & querens utile vel iucundum, non necessario redamatur, nec qui amatur tenetur redamare, quia eorū saepe nō est par ratio: unus enim est alteri utilis, vel iucundus, non e contra. Altera est: Amans non alium sed aliquid eius; non tenetur redamare, ut casta puella non tenetur redamare lascivum iuvenem; Nec princeps illum, qui divitias, & non principem amat.

## Q U Æ S T I O X.

Unde Pontifices Romani tantas divitias  
tantam dignitatem, atq; potentiam  
acceperint.

Ad Quæstionem † hanc ex Reinerō Reinneccio respondemus. Primus ut ceteros per Imperium Episcopos, ita etiam Romanum locupletavit CONSTANTINVS MAGNVS Cæs. Quam forte liberalitatem Constantino non magis pietas ipsius quæ mirifica fuit, quàm necessitas quædam expressit: quod rem Christianam ab Ethnicorum injuriis aliter tutam non fore, persuasum haberet. Accepit per idem tempus Synodi Nicaenæ decretum, quo occidentalium inspectio Episcopo Romano, ut Asiaticarum Antiocheno, Africarum Alexandrino, demandata est. Accessit ipsius Constantini talis quædam sanctio: Forte is, illic omisso, BYZANTIVM, Severi armis dirutum, instaurarat. Quæ propter auctoritatem & stabilitatem ejus aucturus, cum novo nomine *Βασιλεως* nuncupavit, tum cæterarum urbium post Romam principem fecit, & Metrophanem Episcopum Patriarcham salutavit, sed tamen ut propter imperii originem & Romæ antiquitatem, honore, & auctoritate præstare Episcopum Romanum valeret. Et factum quidem iude, ut patriarchæ Constantinopolitani Oecumenici dicerentur, quemadmodum hunc titulum adhuc hodie sub Tyrānide Turcica retinent. Idē Patriarchæ nomē à IVSTINO I. Cæs. Hormisdæ Episcopo Romano primū tributum Isidorus scripsit: scimus q; & Alexandrino & Antiochino, & IVSTINIANI Cæs. temporibus Oecumenicæ quintæ synodi decreto Hierosolymitano, Episcopis obvenisse.

C. 3.

Unde:

2 Vnde † max de principatu contentionibus natis, hoc accidit, ut Synodo-  
rum quoq; decretis secundum Romanum solium primæ partes Constantinopo-  
litano Patriarchæ assignatæ fuerint: Alexandrinus verò κωνσταντινουπόλις  
appelleretur. Sed dum ne sic quidem Constantinopolitanus desistit, & idem  
deinde Ravennas audet: ille quod Constantinopolis Imperii Orientalis sedem  
haberet; hic quod Occidentalis sedem Ravennam transtulisset Valentinianus  
junior: etsi pro Constantinopolitano pronuntiavit Mauricius Cæs. tamen suc-  
cessor Phocas decretum hoc rescidens, amplissimam quondam auctoritatem  
& potentiam Romano attribuit. Quæ res cum alias calamitates in orbē Chri-  
stianum invexit, tum in causa fuit, ut Græci magnopere offensi, ad extremū  
penitus alienarentur. Nota enim Græcæ & Latine Ecclesiæ dissidia.

3 Non † multò post atq; a Pontifici Romano, ἐξουχί cessisset, Hierosolymi-  
tanus Antiochenus & Alexandrinus Patriarchæ, armis Sarracenicis & demum  
Turcicis, oppressi sunt: uti Constantinopolis itidem in Turcorum potestatem de-  
venit. A quo tempore licet nomen & successio Patriarcharum illorum manserit,  
imò etiamnum perduret, potestas tamen concidit. Itaq; cum solus restaret Pon-  
tifex Romanus, ei quidem præter Orientis mutationem istam, etiam qua per Oc-  
cidentem extitit Imperij inclinatio summo ex usu fuit. Nam uti æmulo-  
rum metu liberatus fuit, ita cum in Occidentales provincias, imprimis verò in Itali-  
am, aliæ post alias gentes, sermè tamen omnes Christianæ, infunderentur, &  
graviter interea ROMA affligeretur: quia Byzantini Imperatores eam vel ne-  
gligebant, vel segniter defendebant, cives propter eorum meritorum memoriam  
quæ Genserici Vandali & Artilæ Hunni temporibus à Leone accepisset pau-  
latim Imperatores aversari, & ad Pontifices respicere, ab eorumq; auctori-  
tate pendere coeperunt: præsertim cum alioqui Roma crebrò dominos mutaret, &  
Ostgottorum reges aula sedem Ravennam delegissent, & apud TOTILAM  
pari successu intercessisset Pelagius. Ergo ex hac occasione jam omnia serè Ro-  
mæ Pontifices posse. Factumq; eorum consilio & hortatu, ut cum Ostgottoro-  
rum regno destructo, successisset EXARCHORVM dominatus, novum LONGO-  
BARDORVM regnum: quia ambo inter se contendebant, indeq; Italiam cru-  
delem in modum dilacerabant, Romani neutros dominos agnoscerent, sed eis  
veluti sociis uterentur: in d Pontifices ob controversiam de imaginum cultu  
motam, Imperatoribus palam adversarentur, indeq; turbas cierent.

4 Tandem † ubi superiores Longobardi extiterent, & Exarchis profliga-  
tis, jam soli simul Italia, simul Romæ inhiarunt, Pontifices & Romani poten-  
tiæ



tiæ eorum impares, PIPINUM, Regem Frantorum, attraxere. Quippe qui Romanæ Ecclesiæ non modicè debere existimaretur, inde scilicet, quod cum HILDERICO regi, è Merovingorum stirpe postremo, de regno litem movisset, & arbitrator delectus fuisset Zacharias Pontifex, eius sententiâ causam obtinuisse. Sic enim usu venit, ut propter religionis opinionem civiles quoque Principum causæ ad Pontifices deferrentur, hiq; regna constituere, & diademata conferre inciperent. Fertur igitur PIPINVS magnam regionis partem, tum Longobardis ademptam, Pontifici permisisse. Post cum novas turbas daret DESIDERIVS, ultimus Longobardorum Rex, CAROLVS MAGNVS, Pipini F. à Pontifice evocatus, cum Regnum Longobardorum sustulit, tum patris donationem confirmavit, ipso vicissim Patriciorum ordini adscriptus, ut fieri Imperator posset: quam quidem demde dignitatem inauguratione Leonis III. adeptus, ex transactione cum IRENE & NICEPHORO retinuit.


Porro ÷ autem Pontifices ad eum modum amplificati, Ecclesiasticâ promotione contenti jam esse nolle, sed partem politicæ gubernationis adjungere. Interea tamen creandi eos potestas mansit Carolo, mansit etiam successoribus, novis eâ de re legibus ab OTHONE MAGNO & HENRICO III. latis. Verum id servitutum rati, demum GREGORIO VII. architecto pervicere, ut & ipsos & ceteros Ecclesiasticos proceres eligendi jus esset penes collegia, & gestamina horum non ut antè à Cæsare aut Principibus (nam defungentibus Ecclesiarum Prælati, anulus & virga Pastoralis ad Dn. Imperatorem dirigebatur: Unde postmodum unumquemlibet de familiaribus & Capellanis suis investiens, ad Ecclesiam vacantem dirigebat, non expectatâ Cleri electione, ut de Henrico IV. loquitur, Tyrius lib. I. c. 12.) sed à Pontifice conferrentur. Quare exinde idem Ecclesiasticos proceres potissimum à Pontificiorum auctoritate pendere, ita quidem, ut etiam Episcopi fidem suam jurejurando eis adstringere coacti fuerint.

Ab eo tempore Imperatorum potentia vehementer labefacta, contra verò Pontificum ad aucta fuit: siquidem hi per Episcopos perpetuas factiones alebant, eosq; contra Imperatores, quoties vellent, concitabant. Nec minus eos armavit, atque adeo eos formidabiles reddidit, & ad quævis audenda accendit, ut idem à Gregorio VII. è veteris Ecclesiæ disciplina in novum usum detorta ἀναδέμαται, seu Excommunicationis vis: quando quos hac impetissent, non solum ab Ecclesia arcebant, sed simul dignitatibus privabant, subditis ordinibus à fide & jurejurando, quo Magistratui tenerentur, exemptis. Accessere insuper è MATILDÆ Comitissæ legato, possessiones amplissimæ, access-


accessit & RUDOLFI I donatione Romandiola & Flaminia. Quae res in  
caussa fuit, ut plus in Italia Pontifices, quam Caesares possent. Nec vel ante  
vel post occasionibus aliis Pontifices sibi desuere: donec ipsis Romanis domi-  
natus eorum intolerabilis esse cepit. Patet id, ut caetera mittam, e FRID E-  
RICI BARBAROSSAE historia, patet ex iis, quae de Pontificia sede in  
Galliam translata, legimus. Et omni lucidius est, ubi semel a Pontifici-  
bus iactam ambitionis aulam tot successus excepissent, non ante exaritari hanc  
potuisse, quam omnibus orbis Christiani regnis illi compedes iniecissent, &  
ipsis Imperatoribus servitutem intentassent, idq; posterius similiter e GRE-  
GORII VII. instituto. Hic enim ab HENRICI IV. Caes. adversa-  
riis edoctus, Imperium urbis Romae beneficium habere valuit. Quod commē-  
tum licet & FRIDERICVS Barbarossa & HEINRICVS VII. resel-  
lerint, & eodem spectet Francosurtensis conventus decretum sub LVDOVICO  
Bavaro, de quo Cranzius Saxon. lib. 8. cap. 15. tamen successores eorumq; ur-  
sere, ut CLEMENS V. rem totam certa iuramenti formula comprehenderit,  
idq; iuramentum praestare hodie & paulo superioris aetatis Imperatores tene-  
antur.

7 Quid? † quod religionis se Dominos constituere, quod CHRISTI  
VICARII dici voluere, quod potestatem clavium, & jus indicendi concilia  
ad se solos pertinere contemderunt; imò eò vesaniae progressi suere, ut utrumq;  
gladium, ut loquuntur, seu Ecclesiasticam & Politicam potestatem sibi arro-  
garent, planeq; ita se compararent, ac si Omnia & in omnes sibi licerent,  
ut de quodam e veteribus Imperatoribus prodidit Suetonius, seu quicquid  
statuerent, id sanctum ad Deū & ad homines justum esset, ut Stratoclis  
Atheniensis habet decretum de Demetrio rege apud Plutarchum; deniq; ipsi-  
simum quendam Spiritualem Antichristum representarint. Sed  
cum de isto argumento fusius explicent juris Pontificij Li-  
bri, inde omnia peti satius  
suerit.









52

*D. O. M. A.*  
DIPUTATIO IX.  
*Centuriæ Quintæ*

QUÆSTIONUM  
ILLUSTRIUM  
Philosophicarum,  
*In Inclytâ Wittebergensi Academiâ  
Publicè*  
Proposita  
PRÆSIDE  
M. Jacobo Martini  
Logices Profefs. Publ.  
RESPONDENTE  
Gabriele Pastoris  
Szentimonio Ungaro.  
*Ad diem 10. Iulij in auditorio Collegij  
veteris.*

WITTEBERGÆ,  
*Typis Martini Henckelij, Impensis Pauli  
Hebvoigti Anno M. D. C. VIII.*

